









1
2
28
49
3
31
32
33



1702.

27. Heykian, Jo. Samuel: De incommotis festorum. Programm.
inaugurale. (ad disputationem in aq. Concord. Ludov. Wagneri
iussibus.)
28. Heykian, Jo. Samuel: P. ord. et. facult. jurid. ... Decanus.
Programm. de favore testamentorum non favorabili; quo
ad disputationem in aq. de testamentis conjugum reciprocis
a. . . . Christiano Fidei Fidei . . . habendam . . . iussibus.
- 29^{a. b.} Heykian, Jo. Samuel, Prof. ord. et. fac. jurid.: Decanus: Programm.
de libertate sentiendi in libris, quo ad Dissertationem in aq.
de jure apostolica seu prescripti a Jo. Joanne Stankis . . .
habendam . . . iussibus. 2 Sumpt.
30. Heykian, Jo. Samuel: De incommotis festorum. Programm.
inaugurale. (ad disputationem in aq. Concord. Ludov. Wagneri
iussibus.)
31. Heykian, Jo. Samuel: De eo, quod injustum est circa
juramentum extrajudiciale.
- 32^{a. b.} Heykian, Jo. Samuel: De exceptione deficiendi sigillo
2 Sumpt. 1702 & 1739.
- 33^{a. b.} Heykian, Jo. Samuel: De jure apostolica seu prescripti.
2 Sumpt. 1702 & 1739.



34. Strypker, Dr. Samuel: De jure subcoelectandi
- 35^a $\frac{1}{2}$ Strypker, Dr. Samuel: De testamentis conjugum reciprocis
2 Sampl.
- 36^a $\frac{1}{2}$ Strypker, Dr. Samuel: De delatione juramenti in matris
nuptialibus, 2 Sampl.
37. Strypker, Dr. Samuel: De prolatione dotis et fidei mutua
in concubitu uxoris
38. Strypker, Dr. Samuel: De jure septuaginta in specie de septuaginta
duo processibus
39. Strypker, Dr. Samuel: De facto judicii in quantum de jure
40. Strypker, Dr. Samuel: De jure singulari feminarum Hamburgensium
- 41^a $\frac{1}{2}$ Strypker, Dr. Samuel: De interrogatoriis ineptis. 2 Sampl.
- 42^a $\frac{1}{2}$ Strypker, Dr. Samuel: De jure liciti sed non honesti
2 Sampl.
- 42^b $\frac{1}{2}$ Strypker, Dr. Samuel: De jure liciti sed non honesti.
- 43^a Strypker, Dr. Samuel: De jure Sabbati. Ed. 4. cui accessit
una prefatio praesentis et duae epistolae respondentis.

43⁶ Skypius, Joh. Samuel: De jure sabbati. Animum est proprium
non de incommodis festorum. Recens. 1744.

43⁶ Skypius, Joh. Samuel: Tractat vom Recht des Sabbats.
Aus d. Galiläerische im Deutsche übers. durch Joh. Christoph
Müller. Rector an Schulen zu Magdeburg in Anhalt. Fran-
furt 1702.

44. Skypius, Joh. Samuel: De jure praefationum.

45. Skypius, Joh. Samuel: De certificatione jurium et
nunciandorum

23

II

let J

RE

D

RE

CO

D

Ma 23

1702

179

Q. D. B. V.

IO. SAMVELIS
STRYKII, D.

DE

INCOMMODIS
FESTORVM,

PROGRAMMA
INAUGVRALE,



A & Ω.



Votiescunque varia illa festorum genera, numerumque eorum insignem apud animum meum perpendo, semper in eam quaestionem prolabor, sintne festa illa ecclesiae Christianae commoda magis an incommoda? Equidem si ex communi aliorum sensu respondendum, videtur utique, usum festorum in Ecclesia esse eximium: siquidem Deo haec placere insigniter, constare possit ex quam plurimis festis in veteri testamento inter Iudaeos ordinatis, ut adeo hic modus Deo complacendi in nouo testamento merito retinendus, & potius ambabus, quod dicitur, manibus amplectendus sit. Cur enim non omnem occasionem arripiamus laudandi Deum pro infinitis beneficiis suis, eiusque gratiam ulterius exorandi? Accedit, quod quo plura festa sunt, eo maiorem occasionem nanciscamur animos populi excitandi, eosque in salutari Doctrina instituendi. Quod si vero rem hanc penitus introspectio, & quid commodi reapse attulerit observatio tot festorum, non possum non ingenue fateri, hanc utilitatem mihi suspectam videri, & multo maiora ex festis incommoda, quam commoda, quotidie renasci. Verum ut huius sententiae meae, in iure ecclesiastico non exiguum usum praestantis, fundamenta ostendam, pro solidiori eius declaratione, utque statim constet, quid ad rationes contrarias respondendum sit, paucissimis origo festorum erit indaganda. Hic vero, si sacrum codicem euoluimus, nusquam inuenitur ante Moysi tempora festa vlla a Deo praecipita & instituta fuisse, hoc enim si factum fuisset, non est vero simile, Deum haec nos ignorare, & nulla prorsus vestigia eius relinquere voluisse. Legimus autem, Patriarchas Deum nihilominus serio coluisse, & cum iis familiariter conuersatum esse Deum, eorumque cultum approbasse, quamuis nulli praecise tempori aut loco fuerit adstrictus. Vnde primum illud elicio, Deum in se non delectari festis, cum alias haud dubie idem quoque a Patriarchis exacturus fuisset. Populo vero Iudaico ex Aegypti captiuitate educto, cepit iis festa praescribere, & per Moysen sanctissime custodienda mandare. Non inutile ergo est inquirere, quid causae fuerit, quod tunc demum festa instituerit Deus, & non prioribus

ribus temporibus, & quod non iudæis quoque eandem libertatem permiserit, quam Patriarchis? Scilicet, vt in compendio dicam, incipiebat tum lex illa ceremonialis & Leuitica, tanquam iugum aliquod, ceu saepe vocatur in scriptura, humeris imponi Israelitarum. Non quasi Deo iucundum esset grauare populum suum onere, sed quia in eo statu erat populus, vt propter effrenatam eius libidinem necessum fuerit eum retrahere ad obsequium diuinum; frenis enim & iugis vtimur ad compescenda animalia. Scilicet non improbabilis, sed veritati valde consona est sententia Spenceri. (a) Deum festa ordinasse, vt hac ratione populum a cultu idololatriæ, ad quem pronum fuisse ex sacris literis constat, retraheret: Cum enim ex historiis pateat, multa a gentilibus, maxime vero ab Ægyptiis, festa Diis suis dedicata fuisse, populus autem Iudaicus durante captiuitate eiusmodi cultum videret, ipsique placuerint solennia istiusmodi sacra, Deum succurrisse infirmitati eorum, & ipsis quoque festa dedisse, vt ita in obsequio continerentur. Quam sententiam comprobat Chrysostomus his verbis: (b) *Cum Iudeorum intellectus ad efficacem Spiritus operationem capiendam non sufficeret, sed consuetudine gentium in seruitutem redacti essent & circa aras & sacrificia comprobarentur; Deus dies illos festos, etiam idolis colendis dicatos, ad pietatem ordine quodam instituendam commutat, eaque sustinet, qua ipsi non placebant.* Postquam autem ea appropinquassent tempora, in nouo testamento, vbi sine coactione, non certo loco & die, sed omni loco & tempore in spiritu & veritate colendus erat Deus, (c) intelligebant Apostoli, nunc non tempus esse dies & festa seruare, hinc monet Paulus suos: (d) *Ne vos quis indicato in cibo aut potu aut in parte festi, aut nouilunii aut sabbathorum, qua sunt umbra futurorum, corpus autem Christi.* Sed & illos, qui hanc auream libertatem suam flocci habent & ad festa obseruanda confugiunt, reprehendit: (e) *Nunc autem postquam cognouistis Deum, imo postquam agniti estis a Deo, quomodo conuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus iterum seruire vultis? Dies obseruatis, & menses & tempora, & annos: Timeo vobis ne forte frustra laborauerim erga vos.* Hinc etiam nec Apostolorum tempore certa festa obseruata, nec ab iis quædam præscripta, vt agnoscit Augustinus: (f) *Sed constans Christianorum sententia fuit, conuenire iis qui in Christum a mortuis resuscitatum credunt, perpetuum seruare festum per totam vitam.*

Y 2

(a) Tr. de LL. Rit. Hebr. l. 3. c. 8. (b) Tom. 6. Serm. de Christi. Pastore p. 267.
 (c) Ier. XXXI. 32. 33. Iob. IV. 21. seqq. (d) Col. II. 16. 17. (e) Gal. VI. 9. 10.
 II. (f) In Psalm. XCI.

tam. (g) Hinc & dum contra Tryphonem Iudæum, qui Christianis obiecerat, quod dies festos non obseruent, disputat Iulianus Martyr, fatetur, quod sabbatha & ferias non agant. (b) Interim, tamen post Apostolorum tempora primo iam seculo Christianos tria festa obseruasse, diem Parasceuen, Paschatos, & Pentecostes, ex historia ecclesiastica constat, sed magis propter imperitum populum, & sine necessitate legis. (i) Festum Natiuitatis Christi diu post Apostolorum tempora introductum & dies 25. Decembr. quem hodie obseruamus, demum in quinto seculo ad hoc festum destinatus. (k) Quod vero maiora illa festa, vt loquimur, per tres dies obseruauerit in primis seculis, vestigia nulla reperiuntur. Vt adeo constat, in primitiua ecclesia festa paucissima fuisse obseruata, quamuis enim successu temporis & memoriam martyrum obseruauerint, dies tamen illi non festiui seu feriales, sed tantum memoriales fuerunt, vsque dum Constantinus M. edicto mandauerit, Martyrum dies festiue colendos esse, (l) non siue leui superstitionis suspicione. Cum enim ab eo tempore Christiani magis magisque desisterent a perpetuo festo, quod per totam vitam agere conuenit, extrema festa quam plurima instituta. Hinc Theodorus Thummaius, Theologus Tubingensis, (m) Vbi inquit, ventum est ad tempora Augustini, Hieronymi, Chrysoptomi, Cyrilli, Hesychie &c. plura accesserunt, vt festum rogationum, Litanie, Circumcisio, Dominica in ramis palmarum, dies cinerum, Inuentio Stephani, Ferie Michaelis Arch. Cathedra Petri, 40. martyrum, Aduentus Domini, Natiuitas Io. Baptistæ, Io. Chrysoptomi, Thome cuiusdam monachi, memoria Cypriani, Stephani, Laurentii, Agnetis, Vrfulæ, Eusebii Vercellenfis Episcopi &c. vbi in sequentibus, quæ festa singulis seculis fuerint introducta, recenset. Constat enim, sub papatu adeo increuisse numerum festorum, vt maxima pars anni iis consumatur. Cum ergo diuino spiritu agitatus Lutherus noster opus reformationis aggrediretur, inter alios abusus in papatu etiam annotauit inconuenientiam & incommoda tot festorum in Papatu introductorum, atque desuper aliquoties in scriptis suis grauisime conquestus est. Sed & in eo fuit, vt multa tollerentur festa, quorum tamen non pauca, cum solus vno tempore omnes papatus reliquias eradicare non posset, nobis reliquit. Hæc est origo festorum, & ita eadem ad

nostra

(g) Hieronym. Ep. 150. ad Algas. qu. 10. (b) in Dial. cum Tryphone p. 227. seqq. (i) Origines lib. VIII. aduers. Celf. p. 392. (k) Chrysoptom. Homil. 31. de Nat. Dom. (l) Euseb. in vit. Constantini l. 4. (m) truel. de Festis Iudeorum & Christianor. p. in. 70.

nostra vsque tempora translata sunt. Nunc ergo incommoda eorum vt ostendam necessum est.

Videmus quo in papatu prolapsi sint homines, allecti tot festis, scilicet, vt hæc festa necessariam religionis & diuini cultus partem statuerint, ipsisq; diebus festis specialem inesse sanctitatem dixerint. quam in rem nostri Theologi se illis opposuerunt, ostendendo, nec ad religionem, nec ad cultum diuinum necessaria festa, sancta esse, retineri tamen quædam ordinis & disciplinæ causa ex mera libertate, (n) vbi contra Pontificii constanter asserunt, necessaria esse festa, nec tantum ratione ordinis & disciplinæ, sed etiam ratione mysterii. (o) Nunc consideremus, annon hic error papisticus in nostra ecclesia iam tacite altas radices egerit. Sane plerique in sacris, quæ festis diebus peraguntur, partem cultus diuini constituunt. Festos dies habent profanctis, tanquam in quibus aliquod mysterium lateat. Quod vel exinde patet, quia dies festi maiori pompa, maiori celebritate peraguntur, quam dies dominicus. Cum tamen Lutherus noster expresse asserat, nullum diem reliquis sanctiorem & sacratiorem esse, sed omnes dies nobis debere esse sanctos. (p) Est hoc *primum* incommodum satis insigne: Ex quo statim *alterum* fluit, quod multitudine festorum populus confirmetur in opere operato. Tantum enim externo cultui tribuit maior pars illorum, qui se Christianos vocant, vt, si gloriari possint, se nullam concionem negligere nec dominicis nec festis diebus, existiment, neminem dubitare amplius debere, quin Deum rite colant, & pro veris Christianis habendi sint. Sed & *tertium* inde incommodum sequitur, quod adeo omnia differant ad dies festos, vt memoriam eius rei, cuius gratia festum institutum, alio tempore plane negligant. Ita in conuentibus publicis de natiuitate Christi, passione, resurrectione, ascensione, & missione spiritus sancti non agitur communiter, nisi in festis eius causa constitutis, adeo vt mirum videretur populo, si hymnus de resurrectione Christi agens alio tempore in templis cani deberet, ceu illud etiam communiter negligitur, cum tamen omni tempore eius memoriam recollere deberemus. *Quarum* est, quod diebus festis operæ prohibeantur, & ita impediuntur operarii panem quotidianum sibi comparare, quo ipso non potest non paupertas inter ciues

Y 3

pro-

(n) Chemn. Exam. Concil. Tridentin. de Festis p. 265. seqq. (o) Vid. Iacob. Gretserus *tr. de festis Christianorum*. vbi Bellarmini & Romanæ ecclesiæ sententiam, contra nostros, satnacerbe defendit. (p) T. IV. Ienens. fol. 393. b. *Catechism. Maior. praecept. 3.*

promoueri cum magno incommodo reip. Erat hoc medium in patu, quo clerus corradebat bona priuatorum, propter accidentia, quæ clerus ex diebus festis habet. Recte Lutherus (q) Doch sollen die Leute unterrichtet werden / daß solche Ferien allein darum gehalten werden / daß man daran Gottes Wort lerne / und ob einem Hand = Arbeit für sie / mag er dieselbe thun. Vnde & quintum consequitur, quod homines ad otium inuitentur, dum operæ ipsi interdiciuntur, cum tamen vulgus hoc tempus piis meditationibus destinare non soleat. Quin quod paucissimi in otio diem festum peractis sacris transigant, sed plerique eum comotationibus, saltationibus & impiis congregationibus id consumant, quod sextum incommodum est: de quo recte conqueritur Danhauer (r) his verbis: Die Leute werden von der Arbeit abgehalten / im Gegentheilt zum Müßiggang / Tanzen / Spiele / Fressen / Sauffen und andern Lppigkeit veranlasset. Nec in dignitate constituti id aliter faciunt, qui existimant, festa non festiue celebrari posse, si non splendida instituantur conuiuia, & ludendi, saltandi exspatiandique causa conueniant. Septimum est insignis ille inuestibus luxus, credunt enim homines, hunc quasi necessarium esse in festis: quicquid enim operis suis acquirunt operarii, id omne quasi in istiusmodi vestimenta impendunt. Sane, si festa non essent, haud exiguam pecuniæ summam lucrari homines possent. Recte ergo sentit Polydorus Vergilius: (f) *Dies alii aliis festi festis ex paruis quandoque causis accumulati sunt: id quod haud scimus an expedierit, quum præsertim videamus, eo rediisse Christianorum mores, vt quam olim ex religionis vsu erat hæc instituire, tam NVNC PRAESTARE VIDEATVR EADEM ANTIQVARE, quum bona pars hominum otium istud festorum dierum, non ad orandum, non ad diuina scripta audienda, cuius rei causa datum est, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam indiciis magis magisque impudenter consumat. -- Atque ita belle Ethnicos perinde hac in re vt in nimis multis aliis emulamur, quod tantum absuit vt maiores nostri fecerint, vt etiam illud ipsum audacter ethnicis vitio dederint, teste Tertulliano in Apologetico. Neque, quas pro vtilitate festorum statim in principio adduxi, rationes vllius momenti sunt, siquidem falsum est Deo festa placere, placet ipsi, si homines secundum voluntatem eius viuant, quod si desit, etiam ipsa festa maximopere displicent. Odi, inquit Deus per prophetam, (t) abominor festa vestra, nec odorabor cessationes vestras. Vt alia loca taceam. (u) Quis crediderit adeo Deum obominari festa ab ipso institu-*

(q) Tom. IV. Ienens. fol. 342. b. (r) Catechismus. Milch Conc. 39. p. 557.

(f) Tr. de Inuentor. Rer. l. 6. c. 8. (t) Amos V. 21. seqq. (u) Es. I. 11. Ier.

instituta? quomodo ergo placebunt Deo festa nostra, qui ne quidem mandatum diuinum habemus, vt Iudæi? Si dixeris, tollantur vitia & abusus: respondeo, tollantur; sed videbis tolli non posse. An ergo, pergis, negligenda occasio Deum laudandi? Non. Sed an laudari non potest Deus etiam sublatis festis? Anna quotidie laudandus? Bonum tamen est, in stas, populum sæpius publice admoneri: recte, sed hoc fieri potest sine festis. Quotidie hoc faciendum, non tantum concionibus, sed & catechisationibus, vt vocantur, & visitationibus domesticis: sed hæc ipsa communiter negliguntur, vt ut plus commodi conferant quam conciones. Cum itaque tot sint incommoda festorum & quasi mala necessaria, quæ tolli alias non possunt, boni principis esse existimo, diminuere numerum festorum, & quantum potest fieri restringere, cultum vero publicum & priuatum nihilominus ampliolem reddere.

Hæc autem nunc prolixius prosequi instituti ratio non permittit, dedit autem mihi occasionem ista disserendi clarissimus Candidatus CONRADVS LVDOVICVS WAGNERVS, dum dissertationem suam inauguralem DE IVRE SABBATHI publicæ luci exponit. Natus is est in celeberrima vrbe *Brunsvicensi* die XII. Augusti. Anno MDC LXXIX. ex parentibus honestissimis, patre clarissimo viro, *Wernero Wagnero* Sereniss. Ducum Brunsvicensium in Præfectura ab illic dicta, vulgo *Eichgerichte* / Præfecto, & matre *Lucia Catharina Hausmannia*, Conradi Hausmanni, Pastoris & Superintendentis quondam meritisimi in oppido *Uhlen* / filia, femina honestissima. A quibus parentibus, cum animaduertent, filium non ad plebeias operas, sed ad altiora studia natum, optimoque ingenio a Deo donatum esse, omni sollicitudine educatus est. Hinc vt in Christianismi pariter & bonarum litterarum studiis solida hauriret principia, summa industria curarunt, nihilque omiserunt, quod ad præparandum poliendumque animum ipsius vlla ratione pertinere posset. Quem in finem noster ab honoratissimis parentibus suis Anno MDC XCVI. Hannoueram missus, vt ibi cæpta tyrocinia continuaret, vbi clarissimi viri *Lybberi*, qui ob singulare artificium, memoriæ adiuuandæ causâ ab ipso inuentum, celebris est, institutione, in studio præcipue Philologico, vsus est, nec leuia hausit incrementa. Triennio autem post hac peracto, cum iam satis ad altiora studia præparatus esset, iussu parentum Academiam patriam, celeberrimam *Helmeftadiensem*, Iuliam dictam, petiit, atque, Anno MDCXCIX. d. VI. Martii, in album & numerum studiosorum receptus est. Hic vero iuris prudentiæ studio se consecrare cœpit: cuius elementa & principia hausit

ductu in primis Excellentissimi Icti *Io. Eisenharti*, qui & hospitio suo & conuictu eum recepit, cuiusque singularem humanitatem, dexteritatem, & fidem, gratisima adhuc mente colit. Positis in laudata Academia fundamentis in iure, peracto integro anno, nostram salutauit Academiam, atque Anno MDCC. finito Paschatos festo in numerum ciuium nostrorum receptus. Hic vero rotus in eo fuit, vt iactis fundamentis totum ædificium superstrueret, & quicquid in iurisprudentia reliquum erat absoluëret. Quem in finem præcipue interfuit collegiis, tam publicis, quam priuatis, *venerandi parentis mei*, eoque duce omnes iuris partes, totumque, vt vocant, cursum, absoluit. Sed & reliquorum coniunctissimorum collegarum operis vsus est, & Excellentissimum *Thomasmum*, iurisprudentiam diuinam priuatim explicantem, audiuit sedulo, & lectionibus eius publicis etiam vsus; nec minus meis qualibuscumque laboribus industrius comes adfuit. quibus iunxit Philosophica studia interprete celeberrimo *Buddes*, & collegium practicum apud consultissimum *Schubartum* Professore iuris extraordinarium. Sed ne in obscuro agere videretur, sed periculum ipse faceret profectuum suorum, placuit ipsi Dissertationem *De Iure Liciti sed non Honesti* magno studio conscriptam, sub meo Præsidio publico examini submittere d. III. Februarii huius anni. Quam non modo mascule defendit, sed elaboratione eius simul ostendit publice, se non meris legibus Romanis incubuisse, sed & veræ iurisprudentiæ solidissimis; boni & æqui principiis operam nauasse. Tandem cum valedicendum ipsi fuerit Academicis, suafu aliorum, non ex ambitione, a qua, propter singularem modestiam suam, quam toto tempore quo hic fuit, abunde probauit, alienus ante trimestre spatium me, tum collegii Iureconsultorum Decanum, accessit, desideriumque suum exposuit, atque, vt ad consueta examina, Candidatis iuris subeunda, admitteretur, petiit. Annuit Collegium nostrum ipsius petito, eumque admisit, & tales in vitroque examine deprehendit profectus eius, vt non dubitauerit, viam ipsi ad maiores honores pandere. Nihil ergo supererat, quam vt publicum adhuc eruditorum examen subiret, quam in rem dissertationem inauguralem, vt iam supra dixi, *De Iure Sabbathi*, summo studio, summaque diligentia, conscripsit, eam die XVII. huius mensis publice defensusur.

Huic itaque solenni actui vt Patres & Ciues Fridericianæ nostræ frequentes interesse, eumque expectatissima præsentia sua illustriorem reddere haud dedignentur, eo quo possum cultu & studio, etiam atque etiam contendo, Halæ Magdeb.

Halle, Diss.) 1702 (Sa/Stryk)

ULB Halle

3

001 540 882



Sb.





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Ma 27
1702

27^a

Q. D. B. V.

IO. SAMVELIS
STRYKII, D.

DE

INCOMMUNIS
FESTORVM,

PROGRAMMA
INAUGVRALE.

